

## PIÈCES JUSTIFICATIVES.

(a)

JACOBI SADOLETI ROMANI CARDINALIS EPÍSTOLA AD SENATUM POPULUMQUE GENEVENSEM, QUAE IN OBEDIENTIAM ROMANI PONTIFICIS EOS REDUCERE CONATUR.

JACOB. SADOLETUS, EPISCOPUS CARPENTORACTI, S. R. E. TITULI SANCTI CALIXTI PRÆBITER CARDINALIS, SUI DESIDERATIS FRATRIBUS MAGISTRATUI, CONCILIO ET CIVIBUS GEBENNENSIBUS.

Charissimi in Christo fratres, pax vobis et nobiscum, hoc est cum Catholica Ecclesia, matre omnium nostrum atque vestrum, amor atque concordia, à Deo Patre omnipotente, et unico ejus Filio D. N. Jesu Christo, Sanctoque simul Spiritu, quæ est unitas in tribus perfecta, cui laus est et imperium in omne seculorum ævum. Amen.

Arbitror, fratres charissimi, aliquibus vestrum esse notum, me nunc degere Carpentoracti: quod veni ab Nicea, summum illuc Pontificem, ad pacificandos reges ex urbe Roma proficiscentem prius prosecutus. Amo enim ecclesiam et civitatem hanc, quam mihi spiritualem et sponsam et patriam Deus esse voluit; populosque hosce meos verè paterna charitate complexor; dijungique me ab illis valdè ægre fero. Quod si honos iste cardinalatus, qui mihi inopinanti et inscio delatus est, Romam me coegerit redire (ut certè coget) quod in ea vocatione in qua sum vocatus ibidem Deo serviam. Non is tamen meum animum atque amorem ab his populis avocabit, quos habiturus sum in mediis cordis mei penetralibus semper infixos. Igitur Carpentoracti cum essem, audiremque multa quotidie de vobis quæ partim quidem mihi dolorem, partim etiam spem nonnullam excitarent ut non diffiderem, nos et vos, qui fulmus quondam in recta erga

(præsente semper actionibus nostris Dei clementia et misericordia) stabilem salutem illam et perpetuam consequamur. Hac spe Christus, annunciator veri boni, quondam ab orbe terrarum tanto consensu et studio omnium acceptus fuit; hac ratione à nobis adoratur et colitur, verèque agnoscitur Deus esse, et Dei veri Filius; quòd unus ipse ab initio omnium seculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo solo vita est, mortuos ac hujus quidem mundi fallacibus et caducis blandiciis paulùm temporis viventes, non prorsus et ex omni sui parte ad interitum condemnatos, à mortuis, hoc est, ab hoc maximè pernicioso mortis genere excitavit, primusque ipse semet, salutem et liberationem et doctrinam nostram esse volens, morte carnis accepta, et paulò post vita non jam amplius mortali recuperata; suo exemplo nos instruxit et docuit, ut contraria longè ac prius consueveramus via, mundo huic et carni, hoc est, peccato mortui, Deo deindè viveremus, spesque in eo nostras benè ac beatè perpetuò vivendi poneremus; quæ est propria et verè digna Dei omnipotentis gloria et majestate, nostrarum omnium à mortuis suscitatio; qua non unus aut alter homo, sed cunctum hominum genus à terra et funesta animæ morte, ad veram et cœlestem ejusdem animæ vitam revocatum est. Hanc hujusmodi à mortuis suscitationem sibi proponens Paulus, maximumque in ea intuens divinitatis Christi argumentum atque indicium. Separatus ego in Evangelium Dei, inquit, quod promiserat per prophetas in Scripturis Sanctis de Filio suo, genito quidem ex semine David, secundum carnem, determinato autem et declarato Filio Dei in potentia per Spiritum sanctitatis, hoc est in potentia spirituali, quæ propria Dei potentia est, quòd non corpore Deus, sed spiritu mirabilia sua agit. Imperare enim ventis, et cæcis verbo lumen reddere, et mortuos excitare, non corporea sed spirituali, quæ eadem et divina est, fiebat potestate. Declarabatur igitur Christus, Dei Filius, ex hac spirituali potentia, quæ sola divina est. Et quod subjungit Paulus, ex suscitatione à mortuis, non tam ea quidem qua corpus Lazari, aut filium viduæ, aut principis Synagogæ filiam (quanquam ista quoque opera Dei erant) verùm ea etiam suscitatione magis qua Mariam Magdalenam à dæmonis septem, Matthæum à telonio, cunctos à terrena et moribunda vita, omne deniquè genus humanum à peccato et peccati morte, et à potestate hujus mundi tenebrarum, ad cœlestem appetendam atque sperandam et cognationem et lucem excitavit, demersosque in luto terræ hominum animos, erexit ad cœlum atque extulit. Atque hoc maximum Jesu Christi erga nos beneficium, præcipuumque in eo ipso divinitatis argumentum, idcirco et institutum à Deo in missione Filii sui, et ab ipso Filio susceptum, et suo nobis tempore per eum datum tributumque est, ut omnibus et divinis et humanis in uno Christo consiliis, auxiliis virtutibusque adjuti, nos animas Deo nostras salvas sistere possemus.

Tanta est nobilitas, tam insigne precium, tam grandis æstimatio hujusce rei, quæ anima hominis est, ut quòd ne ea perderetur, sed et Deo ipsi et nobis lucriflaret, conturbatis penitus totius naturæ legibus, atque ordine rerum permutato,

et legendis literis præbeatis. Spero enim, si æquis modò mentibus hæc quæ scribe attendere volueritis, vos, si non consilium meum, et animum certe rectam et simplicem, et vestras imprimis salutis cupientem, non minimum probaturos; neque me quæ mea sunt, sed quæ vestra commoda atque bona, quærere intellecturos. Neque ego tamen spinosas et subtiles ordiar disputationes, quam philosophiam beatus Paulus vocat, et fideles Christi semper monet, ne se per eam patiantur decipi, per quam isti quidem vos circumduxerunt, cum inter imperitos obscuram quandam jactarent Scripturæ interpretationem, fraudemque et maliciam, præclaro illo quidem, sed falso atque alieno doctrinæ et sapientiæ nomine honestarent. Ego ea proponam quæ clara sunt atque illustria, quæ nullam in se erroris latebram, nullum fraudis et fallaciæ habeant diverticulum, cujus modi tamen semper est veritas. Ea enim et in tenebris lucet, et nemini non perapicua est, et à doctis juxtâ atque indoctis facillimè percipitur: præcipuèque in ebristiano genere doctrinæ, non syllogisticis, nec verborum captionibus; sed humilitate, sed religione, sed ergâ Deum obedientia est subnixâ. Vividus est enim sermo Dei et efficax, et concidentior omni acuto utrinque gladio, penetratque ad juncturas spiritus atque animæ, et ad intima compaginum ac medullarum, neque animos illaqueat impeditis argumentationibus; sed cœlesti quodam interveniente cordis affectu, planam sese et patentem mentibus nostris offert; ut non tam hamana intus ad intelligendum ratio, quàm ipse ad se qui nos vocat, operetur in nobis Deus.

Quem ego Deum patrem orans rectæ intelligentiæ supplex precor, ut et mihi ad dicendum et vobis ad percipiendum, ea adjumenta suæ benignitatis præbeat, per quæ possimus iterum in uno corde ergâ ipsum et in una mente consentire. Atque ut inde initium capiamus, undè maximè opportunum esse ducimus, ego, fratres charissimi, sic existimo, me et vos, et reliquos præterea omnes qui in Christo spem et fidem suam posuerunt, id ea una de causa ita facere et fecisse, quò salutem, sibi atque animabus suis, non hanc mortalem et citò interituram, sed illam sempiternam et immortalem quærerent, quæ in cœlo solum verè obtineri, in terris autem nullo modo potest. Est quidem ita dispartitum hoc officium nostrum, ut jacto primum fidei fundamento, hic deindè laboremus, quò illic quiescamus; in terra semen jiciamus, quod in cœlo postea possimus demetere; et quibus hic in operibus, quibusve in studiis nosmetipsos exercuerimus, similes deindè atque dignos operum et laborum nostrorum fructus in altera vita adipiscamur. Cùmque via Christi ardua, et ratio degendæ nobis secundùm ejus leges et præcepta vitæ perdifficilis sit, propterea quòd animos nostros ab omni terrenarum jucunditatum contagione avocare, et in eo ipso uno figere, despiciere præsentia bona quæ in manibus habemus, et futura quæ non cernimus, appetere jubemur: tandè est tamen unicuique nostrum sua et suæ animæ salus, ut nihil recusare æspèrem, nihil laboriosum non pati, animum inducamus, quò tandem aliquando una nobis spe salutis nostræ proposita, per arumnas multas, et per solitudines,

acceptum Deo est, ita neque esse sine charitate potest. Cùm ergo dicimus fide sola in Deum et Jesum Christum salvos nos esse posse, in hac ipsa fide charitatem vel in primis comprehendendum esse ducimus, quæ princeps et potissima nostræ salutis est causa. Sed, ut abeamus à disputatione, et revertamur eò undè sumus digressi, ostendimus vobis, fratres charissimi, vel ostendere potius conati sumus (non enim æquat magnitudinem rei oratio nostra) quanti momenti sit, quantoperè ad nos pertineat, nostræ nobis animæ ejusque salutis procuratio, qua nostra in anima nosmetipsi toti sumus; bonumque hoc propriè et unicum nostrum est, cætera bona, aliena nobis omnia atque disjuncta; quibus ne ipsis quidem frui ullis possumus, si ex hoc principe et verè nostro excidamus. Pro quo sibi tuendo et conservando animæ bono, tot quondam Christi gloriosissimi martyres, mortalem hanc vitam prompto animo posuerunt; tot sanctissimi doctores nocturnis diurnisque sudoribus ac vigiliis, quò nos in viam rectam inducerent et constituerent, sibi elaborandum esse statuerunt; tota olim tam multas et tam graves ab impiis tyrannis et præsidibus gentium injurias et calamitates pertulit Ecclesia. Quæ idèò omnia et à præpotente Deo permissa, et à fortibus illis viris, Christi verè cultoribus suscepta, tolerata, decertataque sunt, ut per omne experimentorum et probationum genus, plurimis veluti malleis excusa, multo igni purgata, tantis sanctorum ærumnis atque laboribus conflata, consolidata, expressa, et maximam apud Deum gratiam fidelitatis suæ Ecclesia obtineret, et summam apud homines auctoritatem. Hæc nos Deo Ecclesia in Christo generavit, hæc nos aluit, confirmavit, instruxit quid nos sentire, quid credere, in quo spem ponere, qua via in cælum tendere nos oporteat, ipsa eadem edocuit. Nos in hac communi Ecclesiæ fide incedimus, nos illius leges et præcepta retinemus; et si quando fragilitate et incontinentia victi ad peccandum prolabimur, (quod utinam saltem rarò ac non nimium sæpè in nobis accideret) in eadem tamen fide Ecclesiæ exurgimus, quibusque illa expiationibus et pœnitentiis et satisfactionibus peccatum nostrum ablui, et ad integritatem pristinam, clemente erga nos semper et misericorde Deo nos restitui docet, eas expiandi et satisfaciendi rationes suscipimus et adhibemus. Idque ita cum facimus, confidimus nos veniæ et misericordiæ locum apud Deum invenire. Non enim præter sententiam et auctoritatem Ecclesiæ arrogamus nobis quicquam, non plus nos sapere, quam oporteat sapere nobis ipsis persuademus; non superbiam afferimus ad contemnendum Ecclesiæ decreta, non animi elationem, neque ingenium inter populos nostrum, aut novam quandam sapientiam ostentamus; sed (de probis et rectis Christianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia; et ea quæ per majorum nostrorum sanctissimorum hominum, sapientissimorumque auctoritates tradita nobis et constituta sunt, tanquam per Spiritum verè Sanctum dictata atque præcepta, omni cum fide suscipimus. Etenim novimus et scimus quantum habeat virium, quanti sit momenti, quanti ponderis apud Deum humilitas, quæ una virtus imprimis christiana est, eamque semper maxime Christus Dominus noster et monitis, et præceptis, et factis atque operibus

suis præ se tulit, parvulisque solis, id est humilibus propositum dixit esse regnum cœlorum. Non enim refert, corpore-ne parvi an magni simus; sed illud plurimum refert, utrum animo simus humili, an-ne superbo. Superbia quæ angelos dejecit de cœlo, hominibus eadem iter in cœlum impedit. Unde cœleste animal angelus, propter superbiam expulsus est, eò terrenum animal homo, propter humilitatem extollitur; ut appareat planè, constitutum esse nobis in humilitate potissimum, et adjumentum perpetuæ salutis nostræ, et hujus beatæ ac jucundæ spei, qua ad cœlum tendimus, firmamentum. Quæ cum ita sint, charissimi fratres, cum nostra salus nobis, cum vera vita, cum æterna felicitas, cum nosmetipsi denique nobis ipsis imprimis et maximè cæterarum rerum omnium charissimi esse debeamus; cum si nosmetipsos perdiderimus, nihil uspiam nostrum, id est quod juvet, aut quod pertineat ad nos, simul amplius reperturi; cum nullum gravior damnum, nullum exitiosius malum, nulla acerbior calamitas amissionem et jactura animarum nostrarum accidere nobis possit; quanto, obsecro, studio, qua animi cura et sollicitudine providere debemus, ne in hoc tantum periculum salutis et vita nostra conjiciatur. Dabitur vos profecto mihi et concedetur, nihil perniciosius neque funestum magis cvenire nobis posse, quàm amissionem animæ unicuique suæ. Dabitur ergo etiam illud, opinor, nihil esse à nobis majore diligentia et studio, quàm ne id accidat, præcavendum. Cujus enim mali sors, si ea in nos incidat, omnium malorum est deterrima; ejusdem mali periculum maximè omnium nobis esse formidolosum debet. Etenim quanta est in malo moles, tantus in periculo mali, necesse est ut sit timor. Atque ut qui horrent et metuunt in pelagus præcipitari, hi ne ad præruptam quidem et imminensem pelago rupem audent accedere, sic qui terribile illud Dei et damnatorium judicium perhorrescunt, ab eo fugiunt imprimis periculo, quod sempiternæ illi miserix maximè finitimum proximèque adjunctum est. Neque ego hoc in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos quo ad hanc vivimus vitam, in periculo semper esse (sumus enim planè, et aberramus, et offendimus, et labimur, interdum omnes, sæpius, rarius, prout cuique sua et ex Deo insita ad se cohibendum virtus inest) verum tamen peccata cætera, præsertim quæ non judicio stabili, sed per fragilitatem admissa patrataque sunt, ad summi Dei misericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile et pertimescendum, quo pravè colitur Deus, qui rectissimè debet coli, et quo falsa de illo sentiuntur, qui est summa solus veritas, illud, illud, inquam, est peccatum, quod non solum in proximo periculo æterni mali nos constituit; sed spem propè etiam et conatum declinandi et fugiendi cujusmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis nostris in peccatis tanquam in vitæ fluctibus, illa tamen anchora nostræ navis salva est, quæ nos prohibet à scopulo et naufragio: quòd cogitationes interdum nostras in Deum conjicientes, et stimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis suspiriis, et confessione iniquitatis nostræ, illius misericordiam imploramus. Atque ipse, ut bonitatis et clementiæ plenus est, flectitur statim ad ignocendum; moreque pii patris filiorum suorum

preces placatus admittit. At in hoc truci, horribilique peccato præposteræ falsæ-que religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus.

Quapropter hoc præcipuè periculum, fratres charissimi, si salvi esse volumus, accuratissimè et studiosissimè vitandum nobis est. Potest hic dici, cùm vel corruptæ vel integræ religionis varia sint judicia, et diversæ hominum, in hoc præsertim tempore, sententiæ, aliusque hoc modo, illo alius interpretetur, satis videri debere, si unusquisque ad id quod primum occurrerit credendum, sincero animo accedat, suumque iudicium submittat hominum se doctiorum et peritiorum iudiciis. Fateor, fratres charissimi, has esse voces hominum simpliciorum, et quorum ingenia natura hebetiora sunt: quos qui detorquent et abstrahunt à via recta, majus illi multo in se peccatum habent; nam peritis quidem et callidis, oratio ista non convenit. Sed ut nunc temporis causa confitear, omnibus ista et doctis et indoctis incerta esse (quod tamen est secus; habet enim catholica Ecclesia certam regulam, qua a veris falsa discernat). Verùm esto, concedamus dubia esse: non-ne quoniam de periculo nostræ salutis agitur, quoniam animas nostras, hoc est, nosmetipsos plurimi facimus: nec nunc in discrimen aut fortunarum aut valetudinis, aut etiam corporis et mortalis hujus vitæ venimus (quorum omnium jacturam viri fortes pro Christo et pro sua anima constanter sæpè pertulerunt) sed de nobis id decernitur, utrùm sempiternè miserimi, an beatissimi simus victuri, circumspicere, considerare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo nos constituamus in loco (de re loquor veluti dubia, quæ tamen non est) ut ubi, inquam, consistamus, ubi minus multò nobis timoris atque periculi, longè-que plus spei et alacritatis ostenditur? Nemo hoc, credo, negaturus mihi est, quin in re ancipiti et dubia (in qua præsertim summa agitur vitæ et salutis nostræ) id potiùs capere et sequi consilii debeamus, quod ratio nobis suaserit, quàm quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur utra in parte, et in utra secta majus sit, à Deo longius nos removendi, et ad perpetuum exitium propius nos admovendi periculum. Quam rem ita agam et proponam, quasi habeam vos adhuc deliberantes, necdum animi certos: quorum potiùs aut voluntatibus obsequi, aut consilii credere debeatis. Disceptatio est, utrum vestræ salutis magis expediat, gratusque Deo vos facturos existimetis: si ea credideritis, eritisque sequuti, quæ Ecclesia Catholica cunctum per orbem terrarum annos jam mille et quingentos amplius, aut (si claram certamque rerum gestarum memoriam et notitiam quærimus) annos jam amplius mille et trecentos, magno consensu comprobat; an hæc quæ vafri homines, atque, ut sibi ipsi videntur, acuti, adversus tot seculorum usum et contra perpetuam Ecclesiæ auctoritatem, his annis quinque et viginti innovaverunt: qui certè ipsi Catholica non sunt Ecclesia. Est enim Catholica Ecclesia (ut breviter definiamus) quæ in omni anteaeto et hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Christo una et consentiens, uno Christi Spiritu ubique et semper, directa est, in qua nullum potest dissidium existere; omnis enim ea inter se connexa et conspirans est: quòd si quid accidat dissensionis et

assidii, magnum quidem corpus Ecclesiæ idem permanet, fit autem aposturna, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum spiritu divulsa secernitur, nec de substantia ulterius corporis Ecclesiastici est. Non ego hic deveniam ad singulas rerum disputationes: neque aures vestras copia verborum atque argumentorum onerabo. Tacebitur à me nunc de Eucharistia, in qua nos verissimum Christi corpus adoramus. Isti sanè parum gnari quemadmodum in unoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta et rationes oporteat, ex alienis et longè diversis dialecticæ inanisque philosophiæ rationibus, Dominum ipsum universi, et divinam in eo spiritualeque potentiam (quæ prorsus libera et infinita est) in angulos corporeæ naturæ, quæ suis cancellis circumscripta est, conantur includere. Non loquar de confessione ad sacerdotem peccatorum, in qua, quod maximum est nostræ salutis fundamentum, vera Christiana humilitas, et à Scriptura demonstrata et ab Ecclesia præcepta ac constituta est. Quam isti humilitem, et per calumnias eludere, et per arrogantiam abjicere studuerunt. Silebo de precibus, aut sanctorum pro nobis apud Deum, aut nostris, pro mortuis; quas iidem isti cum aspernantur et irrident, easque nullius penitus esse momenti dicunt. Quid tandem sibi volunt? Num nam animas arbitrantur unà cum corporibus suis interire? Et nimirum id videntur innuere, quod agunt etiam manifestius, cum libertatem sibi vitæ ab omnibus ecclesiasticis solutam legibus, et licentiam cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis anima sit, edamus et bibamus, inquit Apostolus, paulò post enim moriemur, sin autem sit immortalis (ut certè est) undè, quæso, tantum et tam repenti factum est corporis morte dissidium, ut et viventium et mortuorum animæ inter se nihil congruant; nihil communicent; omnis sint cognationis nobiscum, et communis humanæ societatis oblitæ? Cùm præsertim charitas, quæ præcipuum Spiritus Sancti in christiano genere est donum, quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuosa est, et in eo in quo inest, nunquam inutiliter consistit, salva semper et efficax, in utraque vita permaneat. Sed ut relinquam controversias, easque ad sua tempora reservem, excutiamus id quod prius est propositum; ut videatur et quærat, quid nobis magis conducatur, factuque rectius sit, quid ad gratiam summi Dei obinendam magis sit accommodatum, sentire-ne cum universa Ecclesia, ejusque decretis et legibus et sacramentis cum fide obtemperare, an assentiri hominibus dissidia et res novas quærentibus? Hic locus est, charissimi fratres, hoc illud est bivium quod diversa duo in itinera scinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc discrimine et delectu, agitur salus animæ cuique suæ, aguntur pignora futuræ vitæ: utrum videlicet nos æternæ felicitatis, an miseræ infinitæ simus futuri compotes. Quid ergo dicemus? Fingamus hic duos, qui ex utroque genere, hoc est, utroque ex itinere, ante illud terribile Summi Judicis tribunal sint constituti: quorum causa cognoscatur et expendatur, quò vel damnatoria in eos sententiâ, vel salutaris jure ferri possit. Interrogabuntur fuerint-ne christiani? Fuisse se ambo dicent. Rectè-ne crediderint in Chris-

tum ? Utrique pariter respondebunt : Næ. Quid autem crediderint , aut quo modo crediderint , cùm explorabuntur (nam hæc de fide recta cognitio , illam quæ est de vita et moribus antecedit) cum igitur ab eis exigetur rectæ fidei confessio , dicet ille quidem qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio et disciplina fuerit educatus : Ego cùm institus essem à parentibus meis , qui et ipsi à patribus suis et avis acceperant , ut cunctis in rebus Catholicæ Ecclesiæ essem obsequens , ejusque leges , et monita , et decreta , tanquam à te ipso , Domine Deus , lata observarem et colerem ; cùmque omnes eos ferè , qui in christiano nomine censerentur , quique et nobiscum , et antè nos , longè et latè per orbem terrarum tua signa essent secuti , in eadem sententia esse et fuisse animadverterem , ut cuncti matrem fidei suæ hanc ipsam Ecclesiam agnoscerent et venerarentur , et ab ejus præceptis constitutisque discedere sacrilegii instar putarent ; in hac eadem fide , quam catholica servat docetque Ecclesia , probare tibi me studui . Et quanquam venerant homines novi , Scripturas multum in ore et manibus habentes , qui nova quædam commovere , vetera labefactare , Ecclesiam redarguere , obedientiam quam illi nos omnes præbebamus , eripere nobis et extorquere conarentur , in eo tamen constanter manere volui , quod à patribus meis , et à communi sanctissimorum doctissimorumque patrum consensu , jam indè antiquitus in Ecclesia fuisset et observatum et traditum ; et si multorum quidem præsidum hominumque ecclesiasticorum , præsentis mores essent ii , qui mihi stomachum movere possent , quibus tamen non sum à sententia deductus . Ita enim constitui eorum præceptis , quæ certè sancta erant , obtemperare me debere (sicuti tu , Deus , in tuo Evangelio præceperas) vitæ autem et gestorum te unum judicem esse oportere . Præsertim cùm ego quoque , his tot peccatis , quæ in hac mea fronte en tibi manifesta sunt , commaculatus atque infectus , aliorum dignus judex esse non possem . Pro quibus nunc adsto ante tribunal tuum , non severitatè tuam , clementissime Deus , sed misericordiam potiùs et placabilitatem implorans . Dixerit hoc modo iste causam suam . Citabitur alter , comparebit . Imperabitur illi ut dicat . Hunc habebit exorsum orationis suæ (singatur enim de illis unus esse qui sunt aut fuerunt dissensionum auctores ; melius enim credo tutabitur iste causam suam , qui se doctorem cæteris ad definiendum ab Ecclesia fuerit professus) . Mihi , iuquies , ó summe Deus , intuenti mores hominum ecclesiasticorum ubiquè ferè corruptos , et sacerdotes nihilominus religionis gratia , in honore omnibus esse cernenti , opesque illorum iniquo animo ferenti , justa (ut puto) iraendia animum inflammavit , ut me illis adversarium constituerem ; cùmque respicerem me ipsum , qui tot annos operam literis et theologiæ dedissem , non tamen habere eum in Ecclesia locum , quem labores mei meriti essent , multos autem indignos ad honores et sacerdotia extolli perspicerem , ad eos (fateor) insectandos me contuli , quos tibi quoque ipsi minimè placere et satisfacere sum ratus . Et quoniam eorum potentiam revellere non poteram , nisi obterrerem priùs leges ab Ecclesia latas , populi magnam partem induxi , ut ea Ecclesiæ jura contemneret , quæ diu antè rata inviolataque fuissent .



Quæ si in conciliis universalibus fuissent decreta : conciliorum auctoritati non concedendum esse dixi. Si instituta à priscis patribus et doctoribus, veteres patres ut imperitos, et bonæ expertes intelligentiæ sum criminatus. Si per Romanos Pontifices, eos sibi astruxisse tyrannidem, et falso nomine vicarios se Christi dicere affirmavi : omnibus denique modis contendi, ut hoc tyrannicum Ecclesiæ jugum, quæ cibos interdum prohibet, quæ dies servat, quæ confiteri nos vult peccata nostra sacerdotibus ; quæ vota impleri jubet, quæ homines in te, Christe, liberos tot servitutis vinculis alligat, à nobis cuncti qui te colimus, excuteremus, solamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maximè extolluntur et prædicantur in Ecclesia, justitiam nobis et salutem patere confideremus. Cùm tu præsertim pœnam pro nobis pendisses tuoque sancto sanguine cunctorum delicta et scelera delevisset ; ut nos hac una fide in te freti, liberius deindè agere quæcunque nobis libuisset, possemus. Scripturas etiam ingeniosius sum perscrutatus quàm veteres illi ; ac tum quidem maximè, cùm aliquid quærebam in eis, quod contra istos detorquere possem, quæ etiam doctrinæ et ingenii opinione, apud populos famam et existimationem nactus, totam quidem Ecclesiæ auctoritatem evertere non potui ; magnarum tamen seditionum in ea et scissionum fui auctor. Hæc ubi iste dixerit, et verè dixerit (neque enim mentiendi apud illum Cœlestem Judicem est locus), tametsi multa idem de ambitione sua, de avaricia, de studio popularis gloriæ, de fraudibus et maliciis intestinis, quæ intus ipse agnoscat, in sese retinuerit, quæ tamen illi, prima ipsa in fronte apparebunt inscripta. Quod tandem, ô Gebenenses, fratres mei, quos ego in Christo, et in Christi Ecclesia unanimes mecum habere opto, non solum de his, sed comitibus assectatoribusque eorum, judicium fore existimatis ? Nonne hic certè qui catholicam Ecclesiam fuerit secutus, nullum suum erratum in hac re afferret ? Primum, quia non errat, neque adeò errare potest Ecclesia, cujus illa publica et universalis decreta atque concilia, Spiritus Sanctus assiduè gubernat. Deindè etiam si errasset ea, aut erraret (quod tamen creditu et memoratu est nefas), nullus huic quidem suus exprobaretur error, qui sincero animo, et propter Deum humili, majorum fidem suorum et auctoritatem esset persecutus. At iste alter suo innitens capite, neminem habens veterum sanctorum Patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus episcopis conventuum, quem honore dignum patet, cui inducat animum cedere et obtemperare, omnia sibi arrogans, ad obtretandum magis, quàm ad discendum, docendumque paratus ; cùm à communi Ecclesia desciscit, quem respicit portum fortunarum suarum ? quo propugnaculo confidit ? quibus apud Deum advocatis fretus est ? ut non graviter debeat metuere ejectum se iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, hoc est, ubi miseriae suas perpetuò desleturus, et contra semetipsum dentibus increpiturus sit ; quòd cùm posset, si id studuisset, illam acerbissimam vitare calamitatem, id facere neglexisset. Quàm porrò infausti et incommodi comites traducendæ vitæ sint mœror et furor, unus per sese quisque satis potest intelligere ; præsertim cùm

illius modi mali atque damni nullus futurus unquam finis sit, nulla determinatio, nunquam ibi plorare, nunquam desinat irasci.

Atqui si reliqua istorum omnia aliquo tamen pacto perferri et tolerari possent, hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoscendum quidem illis, locum ullum veniæ et misericordiæ apud Deum dari posse) quòd sponsam hi Christi unicam discernere sunt conati, quòd tunicam illam Domini, quam prophani milites dividere noluerunt; isti ausi sunt, non dividere solùm, sed lacerare? Quot enim jam, istis initium facientibus, sectæ Ecclesiam disciderunt, neque cum istis congruentes, et ipsæ inter se discordes? quod manifestum esse falsitatis indicium, omnis doctrina confirmat. Veritas enim unica semper est, varia autem et multiformis est falsitas, et simplex quod rectum est, multifidum quod obliquum. Sed hujusmodi scissionem, hujusmodi sanctæ Ecclesiæ dilaniationem, potest-ne quisquam Christum agnoscens et confitens, et cujus aliquando menti atque cordi Spiritus Sanctus illuxerit, non intelligere, Satanæ, et non Dei propriam operationem esse? Quid imperat nobis Deus? quid præcipit Christus? Nempe ut unum omnes in ipso simus. Quò datum est nobis à Cœlo atque Deo illud singulare et præcellens charitatis donum, quod Christiano duntaxat generi, non cæteris gentibus divinitus infusum est? Nonne ut omnes uno corde et ore Dominum confiteamur? An arbitrantur isti christianam religionem aliud omnino esse, quam pacem cum Deo, et cum proximo concordiam? Videamus quid ipsemet loquatur in Joanne Dominus, Patrem suum pro discipulis deprecans. « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Non pro his autem rogo solùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quòd tu me misisti; et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis et tu in me, ut sint perfecti in unum. » Videtis, fratres charissimi, et in clara Evangelii luce discernitis, quid sit verè esse christianum, cùm fides in Deum nostra, cùm Dei omnis gloria, quæ et ipsius apud nos, et nostra apud eum esse possit, in hac sola inter nos unitate consistat; cùm hoc unum requirat et postulet à Patre de nobis Christus, isque suos in hoc labores, suas ærumnas, suam susceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, suam crucem, suam mortem, sic fructum allaturam sibi putet, et ad gloriam patris, quam maximè expetebat, et ad salutem nostram, pro qua erat moriturus: si nos inter nos, et in ipso fuerimus unum.

Atqui hoc semper laborat, hoc adnititur Ecclesia Catholica, ut sit consensio nobis, et in eodem spiritu unitas; quosque homines aut spatia disjungunt terrarum, aut intervalla temporum, quòd coire in unum corpus non possunt, eos unus tamen spiritus, qui ubique idem semper est, et fovet et regat. Cui quidem Ecclesiæ Catholicæ et Spiritui Sancto hi se adversarios à regione profitentur, qui unitatem frangere, qui varios spiritus immitere, qui consensionem solvere, qui tollere concordiam quæ Christiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto

studio, tot machinationibus et artibus, ut eorum solitudinem et anxietatem nulla satis dignè exprimere oratio possit. In quos ego quidem id non imprecabor, ut disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam; neque item, ut addat iniquitatem super eorum iniquitatem; sed ut convertat eos, et ad spiritum bonum deducat, Dominum Deum meum supplex rogabo, sicuti rogo.

Vosque et oro et hortor, fratres mei Gebenenses, ut, discussis aliquando ab oculis mentis vestræ erroris nebulis, et patefacta luce, ad cælum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam vestram, si in unitate Ecclesiæ manseritis, proposuit vobis Deus; redire in concordiam nobiscum, et fidele obsequium præstare matri nostræ Ecclesiæ, colereque Deum in uno nobiscum spiritur jam vellitis. Nec si mores nostri vobis fortassè displicent, si quorundam culpa, splendor ille Ecclesiæ, qui perpetuus et incontaminatus esse debuit, aliquando sit obtusior, vestros id animos moveat, aut in diversam et contrariam trahat partem. Odisse forsitan personas nostras potestis (si id ab Evangelio conceditur) doctrinam certè et fidem habere odio non debetis, scriptum est enim: « Quæ dicunt facite. » Neque verò nos aliud dicimus, quàm quòd nostram vestræ salutis cupiditatem vobis indicamus. Quæ si à vobis, Gebennenses charissimi, in bonam partem fuerit accepta; si me amantissimum vestri gratis animis audieritis, non pœnitebit vos profectò, et apud Deum recuperatæ pristinæ gratiæ vestræ, et apud homines laudis. Ego quæ meæ partes sunt, et quod benevolentia erga vos mea mihi præscribit, assiduus ero ad Deum pro vobis deprecator, meo quidem ipse indignus vitio, sed forsitan charitas efficiet me dignum.

Tum autem quidquid valeo, possumque, etsi id quoque parvum admodum est, sed si quid est in me ingenii, consilii, autoritatis, diligentiae, id ita vobis totum, et vestris opportunitatibus defero; ut pro magno meo commodo habiturus sim, si vos aliquid ex me commodum fructumque meæ operæ, et laboris, et in divinis rebus, et in humanis percipere potueritis. Extremum est, ut vos orem, ut eum nuntium quem ad vos cum his literis misi, ea comitate ac benignitate accipiatis quam et humanitas vestra, et jus gentium, et in primis Christiana mansuetudo postulat et requirit: quod vobis honestum, mihi autem vehementer futurum est gratum. Deus vos dirigat, et propitius tueatur, fratres charissimi. — Carpent. XV calend. aprilis, MDXXXIX.

